



est quod David cum esset Rex, regalique culmine immineret, de se testatur, quod obmutuit, & stultus, & solum innouato dolore ingemuit; At verò Iob ab omnibus suis expoliatus, in sterquilinio sedens, habet labia, & linguam ut loquatur? D. Gregorius lib. 14. moral. c. 24. Quid enim circa dentes aliud quam labia habemus? Sed quid per labia nisi locutio designatur? David homicida fuit, Vriam interfecit; Adulter, Bethsabe in suam domum iitroduxit. At verò Iob innocens, & purus, de seque affirmabat; Non peccavi. Qui peccator olim extitit, obmutescat, & faciat, solumque innouato dolore super crimina sua perfusis lachrymis ingemiscat. At verò Iob innocens os, & linguam habeat, ut dicat, & loquatur; nam iniquitas comprimit os, quam innocentia diluuit, & aperit.

Gregor.

Iniquitas etiam preterita claudis os, innocentia aperit.

21.

Ioan. 12. Cyrell.

Qui olim habuit delicta taceat, & solum innocens scribat.

23.

Hi. 6. Septuaginta.

Hieron.

Cyrell. Hyamon. Sauch. Cornel.

Leuis culpa preterita obmutescere facit.

QUESTIO V.

Quo motu, vel principio comprobatur Christus se verum dicere?

24. Tolet.

RESPONDEO primò ad questionem cum Toletio in commentario, quod veritatem dicere hoc loco non solum significat simplicem veritatis enuntiationem; omne enim verum, est

probabile, & credibile, sed etiam denotat veritatis enuntiationem cum ipsius demonstratione: ut sit sensus: dico veritatem, multis, & efficacissimis signis, ac argumentis eam demonstrans, ut quicumque voluerit credere, apertè cognoscat, & intelligat eam esse Dei veritatem, sub illaque nullam falsitatem latere, hoc enim significat dicere, ac docere veritatem.

Dicitur veritas signis demonstrata.

25.

Daniel. 3.

Veritas per se sola sufficit mendacium multos testes querit.

Hieron.

26.

Chryso. August.

Ioan. 8.

Daniel. 3.

n. 92.

Secundò. Cur ad probationem suæ veritatis, quam Christus prædicabat; multos testes non adducit? Testimonium Baptistæ, vocem Patris in Iordane, & multa eius miracula, ac opera; sed tantum ait. Veritatem dico vobis. Veritas per se est patens, manifesta, ac credibilis, nec multorum, sed paucorum eget testimonio. Hoc enim discrepat inter veritatem, & mendacium. Nam veritas, ut suadeatur, paucis contenta est, at mendacium multis magnis exquisitis, ac eminentis auctoritatis exigit testibus. Erigit Nabuchodonosor statuam suam, in qua se præcipit ut Deum adorari, ad cuius dedicationem. Misit rex ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ. Daniel. 3. num. 2. Et postea subditur. Ut præco clamabat valenter: vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora, qua audieritis sonitum tube, adorare statuam. Postea verò cum Rex audisset Dei magnalia à tribus pueris Sidrach, Misach, & Abdenago constituit decretum, ut verus Deus Israel in toto orbe prædicaretur. Placuit ergo mihi prædicare eius signa, quia magna sunt, & mirabilia eius. Daniel. 3. num. 100. Quid est quod ut persuaderetur adoratio statuæ, voce præconis totus congregatur orbis cum suis magistratibus, ac principibus, ut verò introducatur adoratio, ac prædicatio veri Dei in toto orbe, sufficientes tres pueri ignoti, captivi, extranei, ac Hebræi: Quod Nabuchodonosor tanquam Deus haberetur apertum erat mendacium, manifesta falsitas, proindeque ut persuaderetur necesse erat, ut totus orbis conuocaretur simul cum magistratibus, satrapis, ducibus, ac principibus. D. Hieron. Principes, ait, ad adorandam statuam congregantur, ut per principes seducantur & gentes. At quod Deus Israel tanquam supremum nomen ab omnibus cognoscere, cum esset clara, ac perspicua veritas, non multorum exigebatur, sed paucorum sufficiens, & abundans erat assertio. Pro quo perpende, quod ad venerationem statuæ cum esset mendosa, quamvis totus orbis conveniret, obstitunt tres pueri; ad adorationem veri Dei à tribus pueris proclamata, nullus contradicit, sed omnes consentiunt. Vide supra cap. 14. q. 16. n. 48.

Tertiò. Veritatem dico vobis, ait Christus illam scilicet, ut obseruauerunt D. Chryso. D. Augustin. de qua dixerat in hoc sermone: Nunc autem queritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo, Ioan. 8. num. 40. Alij Codices habent, à Deo Patre. Iterum redit difficultas; unde Iudæi poterant deprehendere, quod ipse dicebat veritatem ex Deo Patre acceptam, ac ex Deo auditam; ex eo debebant eum cognoscere; quia ut ipse dicebat. Opera Patris mei ego facio. In omnibusque referebat Patris sui similitudinem in Prophetis prædicatam, in Scriptura contentam, ex traditione acceptam. Postquã tres pueri iniecti fuerunt in medio ignis, accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ardentis, & ait: Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis filio Dei, Daniel. 3.

Hieron.

Tob. 7.

Carthuf.

Ex similitudine actionum colligitur filius ex suo patre.

27.

Dicere verum efficax demonstratio dicendi verum.

28.

Iudic. 16.]

num. 92. Inde Rex, ut meritò dubitat D. Hieron. agnovit filium Dei, ut dicat quod quartus sit illi similis, cum Raguel intuitus esset iuniorum Tobiam, dixit Anna uxori suæ, quam similis est iunioris iste consobrinus meo! seniori scilicet Tobie cap. 7. num. 2. cum Raguel nunquam vidisset iuniorum Tobiam, ut est satis probabile. Agebat enim ille, tunc ætatis suæ annum quadragesimum quartum, ut obseruant Chronologi; & per tot annos, vel plures Tobias senior, & Raguel inter se discesserant. Tobias senior ductus est in Babyloniam; Raguel in civitatem Ragues, quæ maximè inter se distabant; unde ergo agnovit Raguel, quod erat seniori similis; Carthusianus: similis moribus consobrinus meo. Ex iuuenis actionibus, ex loquela, modòque dicendi deprehendit eum valde similem parenti suo Tobie seniori; sicque Nabuchodonosor, ut valde verisimile est, audierat à Daniele, quod populus Israëliticus expectaret aduentum filij Dei in terris, audierat etiam quod Deus olim apparuisset in flamma ignis in Ægypto, ut populum suum liberaret ex captivitate Pharaonis, ergo cum accessisset Nabuchodonosor ad ostium fornacis, & vidisset quatuor viros, & quod vnus descenderat, ut tres immunes ab igne seruet, intelligit illum esse Dei filium, qui & olim pro populo à iugo seruitutis eximendo in rubo ignis se se exhibuerat Moyse.

Quartò. Quoniam motu comprobatur Christus se verum dicere, hoc namque per altissima principia verificare poterat, tum ex sua persona, quod scilicet ipse esset filius Dei, qui mentiri non poterat, tum etiam ex scripturis, quia iuxta illas omnia ipse dicebat, & prædicabat tamè his ommissis, nulla alia probatione adhibita solum ait se dicere verum, nulla enim efficacior comprobatio dicendi verum, quam verum dicere, ipsa locutio veritatis index veritatis est; Qui enim verum dicit multa confidentia, magna energia, ac animi constantia loquitur, ut statim ex ipso sermone vox vera deprehendatur.

Ex industria Philistinorum vehementer quaesivit Dalila à Samfone. Die mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequas? Iudic. 16. n. 6. Respondit ei Samfon. Si septem neruicis funibus; necdum sicis ligatus fuero, infirmus ero, ut ceteri homines, quibus cum esset vincus, tumpit vincula veluti filum de stupæ tortum putamine. Iterum Dalila instauit, inquirens, in quo sit eius fortitudo, cui respondit Samfon, Si ligatus fuero novis funibus, infirmus ero, & aliorum hominum similis. Quibus vincus sic rumpit quasi fila telarum: mulier iterum obsecrat, ut aperiat ei rei secretum; qui ait: Si septem crines capitis mei cum licio plexeris, infirmus ero. Quo facto, ab illo se facillimè expediuit. Tandem mulier valde molesta importunis precibus ab eo obtinuit totum, quod optabat, etique confessus est veritatem, fortitudinemque suam in capillis esse constitutam, cum Nazareus esset, atque illi: si rasum fuerit caput meum; recedet à me fortitudo mea, & desciam, eròque sicut ceteri homines. Quibus auditis statim conuocauit ad se principes Philistinorum, dicens: Ascendite adhuc semel, quia nunc aperuit mihi cor suum, ibidem. num. 18. seu ut alij legunt: animam suam; cur, quando Samfon dixit quod si ipse alligatus fuisset septem neruis, aut funibus, quod videbatur conforme humanæ rationi ac communi experientia; tunc non asseruit Mulier, quod ei Sylueira in Enang. Tom. 1. V.

Ex modo dicendi deprehenditur veritas.

aperuit animam suam, & cor suum; sed quando ait fortitudinem suam esse in crinibus, quod poterat videri apochryphum utpote præter communem usum. Unde ergo hoc? Quando ille dicebat, quod si esset ligatus neruis, vel funibus infirmus haberetur, quamvis hoc ita communiter accidat, tamè cum esset falsum, ex modo loquendi deprehendit mulier mendacium; & ideo tunc non ait aperuit mihi cor suum. At verò quando dixit. Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, quamvis videretur extra communem usum, ex ipso modo dicendi intellexit mulier veritatem simpliciter fateri. Carthusianus, Confessus est, ait, Samson omne cor suum de ista materia, hoc namque ex modo loquendi illius perpendit mulier.

Carthuf.

29.

Genes. 29.

Cum audisset Laban venisse Jacob, Cucurrit obviam ei, complexusque in oscula ruens duxit eum in domum suam, auditis causis itineris: Respondit os meum, & caro mea es, Genes. 27. num. 13. eique dat Laban in matrimonium filias suas. Irrident hæretici Laban simplicitatem, quod ad vnam vocem absque epistola, & chyrographo credidit iuueni peregrino asserenti se esse eius consobrinum, filium potentissimi Isaac, ita vt statim eum introduceret in suam domum, os, & carnem suam appellaret, eique matrimonio copularet filias suas, cum iuuenis paupertas, nulliusque comitatus potius indicaret ipsum non esse filium diuitis Isaac, nec consobrinum suum. Quibus ergo persuasus est Laban, ut iuueni narranti fidem adhiberet? Magno sanè fundamento. Ipsa enim Jacob simplicitas illius sinceritatem animi declarabat, eius gestus, candorque verborum, modòque dicendi apertè demonstrabant nullam sibi latere falsitatem, sed omnia sincerè esse narrata. Lippomanus: Retulit, ait, Jacob Laban quæque acciderant in itinere, quæ rationè dimissus esset à patre, & de uxore ducenda ad patris mandatum ex filiabus ipsius, simplici autem animo vtrinque omnia dicta sunt, & credita. Cum enim simplici animo fuissent dicta, sic & credita fuerunt.

Simplicitas loquendi ostendit veritatem.

Lippoman.

QUESTIO VI.

Quare Christus Dominus conqueritur, quod ipsi veritatem dicenti non credant.

NOTANDUM est in limine huius questionis; quòd Christus ait: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Non ait, si veritatem dico vobis, quare me contemnitis, odio habetis, ac inhonoratis? Christus non mutat terminos, ac fines rerum, finis autem dicendi veritatem est, vt illi fides, ac assensus præbeat; at verò odio passim multi querimonias excitant, quod ex eo, quòd veritatem, ac ea, quæ expediunt, dicant, in dedecore, ac odio habeantur, apud enim mundiales paupertas, & contemptus veritatis comites sunt, unde dicebat Mimus Publius: Si in clientelam felicitis hominis, potensque peruenieris, aut veritas, aut amicitia perdenda est.

30.

Christus nota inuenit fines rerum.

Mim. Publ.

Ad questionem primò. Ad quid Dominus quaerit à Iudæis, cur eius doctrinæ non assentiantur? Quare non creditis mihi? Ipse Saluator optimè agnouerat, quòd Iudæi nullà poterant pretendere excusationem, cur ergo hoc ab eis sciscitatur, vt ipsi reflexo animo semetipsos considerantes, nullam se posse assignare excusationem, inde confundantur, ac sui criminis grauitatè agnoscant. Expoluit

31.